

M. liti procul a terminis celi exulat. In celo non est malitia iniquitatis, ac peccati, nam si haec daretur ibi; ita peccaret una mala societas iniquitatis, ut etiam splendorem Solis, & Lunae obscuraret, ac nigrescere faceret.

28. Affectus cupiditatis motem obscurat.

Rupert.

Quartid, ait Text. Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magna, & obscuratus est Sol. Simul a puteo, ut a fornace magna, vehementi impetu ignis & fumus exeunt, ita ut multo certamine contenderent, quisnam egrederetur prior, ubi enim est ignis concupiscentiam inflammas, statim adest caliginosus fumus lumen mentis obscurans, ac excacans. Rupertus: Quia videt, ait, sicut fumus non nisi ex subiacente igne fit; sic non nisi ex procedente causa cupiditatis sine concupiscentia nascitur caecitas mentis, seu obscuratio cordis sapientis.

29.

Loquens Paulus de sapientibus hujus saeculi, qui & magno ingenio erant praediti, multa eruditione excoliti, & laborioso scholarum studio exercitati. De illis ait Rom. 1. num. 22.

Rom. 1.

Stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginum corruptibilis hominis. Unde fieri potuit, quod homines tanto studio, ac sapientia excoliti, in tantam demerentiam devenerint, ut gloriam Dei immortalis in imaginem, ac figuram hominis corruptibilis mutarent, & ut supremam majestatem adorarent: quod debile figmentum erat subdit Apollolus n. 24. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Cum suis cupiditatibus, ac carnis desideris essent derenti, ac emerfi, ab eis tanquam a fornace magna prodit fumus, eorum mentem obscurans, & obtenebrans; infirmitas ut majestas; infirmitas ut fortitudo, deformitas ut pulchritudo reputatur. Rupertus ubi sup. a. Ascendit fumus, ait, usque ad sapientes saeculi; quos obscuravit; de quibus Apollolus dicit: sed evanuerunt in cogitationibus suis. Et obscuratum est insipientes cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & tunc funus ejusmodi, sicut fumus dicitur fornacis magna, & obscuratus est Sol de fumo putei.

Amor concupiscentiae mentis obtenebratio.

Rupert.

Cum Samsonis virtus esset omnino insuperabilis & Philisthai agnoscerent eum esse maxime Dalila amore vulneratum, pactum iniierunt cum ea, ut eam traderet in manibus suis, & cum mulier per tres vices hoc facere intenderet ab omnibus illis mirabili fortitudine se expedivit Samson: Tunc mulier locuta est ad eum. Quomodo dicitis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? per tres vices mentis es mihi & voluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua. Tunc anima ejus deficiens lassata est, & tunc aperuit omne negotium: At illa dormire eum se fecit, super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Judic. 16. num. 19. Ecce ille, qui tot hominum exercitus devinxit, qui tot monstra, & leones superavit, nunc a muliebribus lenociniis devincitur, & somno traditur, ex quo devenit in manibus inimicorum, qui eruerunt oculos eius. Unde illi tanta infirmitas, qui in omnibus tam fortis erat? Undeque illi tanta caecitas, qui in omnibus adeo perspicax extiterat: cum amore captus, suo desiderio ac muliebri affectui se traderet, inde illi caecitas; & inde divino consilio factum ut talis poena eum teneret, nam a concupiscentia, ac affectu semper caecitas nascitur, Drogo de Sacramento

Judic. 16.

Cupiditatis amplexa caecitas.

Drogo.

Passionis Domini. In tantum a nati, ait, mulierem non amantem te; ut sapientia tua stultifeceres, & fortitudo tua infirmaretur.

Apoc. 9. n. 3. Et de fumo putei exierunt locustae in terram, & data est illis potestas sicut habent scorpiones terrae.

Num. 4. Et praeceptum est illis ne laderent fenum terrae, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.

VERSIONES.

Arabicus. Egressae autem sunt ex eo fumo locustae, dataque est illis potestas aequalis potestati scorpionum.

Syrus. Et data est potestas, qualem habent scorpionii super terram.

Syrus n. 4. Et dictum est illis, ut non nocerent graminum terrae, neque ulli viridi, &c. nisi solis hominibus, qui non habent sigillum Dei super domicilium oculorum suorum.

Arabicus. Ne laderent herbam terrae, sed laderent homines, in quorum frontibus non aderat sigillum Dei.

EXPOSITIO II.

De fumo putei, de obscura & tenebrosa Haereticorum doctrina exierunt locustae in terram. Prodicunt multi haeretici locustarum similes, qui per elationem in altum salunt, & per cupiditatem in terram recidunt, terrenas delicias sectantes. Et data est illis potestas, sicut habent praestatem scorpiones terrae. Scorpiones blandi quidem sunt in specie, ac aspectu, sed cauda feriunt venenata; sic & Haereticorum sermone nil blandius, & suavius, nihil in eorum ore sonat, praeter agnitionem, & amorem Christi, tamen occulte, ac simulate mortiferum, ac pestiferum venenum diffundunt.

Et praeceptum est illis ne laderent fenum terrae. Ex quo patet non esse sermonem de locustis materialibus, nam tales locustae vivunt feno, &

Haeretici veluti scorpiones.

Haymo. Richard. Albertus.

33. Incipientes aliquando deficiunt. Albert. Mag.

D. Thom.

& viridium graminum pasto: haec vero locustae non depascuntur fenum, ac proinde non sunt verae locustae materiales, ut dicam quaestione sequenti. Quidam per fenum, ac viride intelligunt eos, qui virorem & vivacitatem fidei habent, per arbores vero, qui spe elati bonorum operum fructum faciunt. Haymo. Richardus, Albertus Magn. per fenum terrae intelligunt incipientes, per viride proficientes, per arbores perfectiores Christianos.

Ne laderent fenum, neque omne viride, neque omnem arborem Particula omne non adjungitur feno sicut viridi; & arboribus; Albertus Magn. post excitatam hanc quaestionem sic ait. Per fenum signatur incipientes qui facile cadunt, & laderentur; aliqui tamen stant, & perseverant; ita cum dicitur, ne laderent fenum, non dicitur omne fenum. Non enim omnes incipientes proficiant, sed plures a bono cessant incepto & notat D. Thomas quod non dicitur. Ne percuterent fenum, sed ne laderent. Nam percussio ait Sanct. Doctor pertinet ad corpus, laesio vero ad animam, & justi licet flagellentur corpore, finaliter illa sunt in anima.

QUESTIO IV.

Quid significent locustae istae?

34. Aureol. Lyran. S. Anton.

35. Alcazar.

36. Ribeir.

Primo Aureolus, & Lyranus, ac S. Anton. r. p. tit. 6. cap. 1. existimant hanc praedici persecutionem Vandalicam; quibus proinde stella cadens est Valens Imperator, vel Gensericius, qui primus ex legibus Vandalis fuit Arianus, & quique mentes vexationis, sunt quinque Vandalorum reges, qui fideles infectati sunt: A haec omnia a sigillo sexto, & deinceps usque ad finem mundi spectant.

Secundo, Alcazar hanc vult nuntiari dans Judaeorum plagas, concupiscentiam scilicet & iram. Haec duae plagae, inquit, sunt locustae horribiles, atque furiosae; & quamvis, quae hic dicit Alcazar applicata concupiscentiis; optime inserviant ad sensum moralem, tamen multum distant a litterali; nam hic, ut saepe diximus, non est sermo de Judaeis, eorumque vitiis.

Tertio, Ribeira, hanc sanctam revelationem de quodam Barbarorum exercitu interpretatur, ait enim multo probabilius videtur homines ferros, & ad perdendum instructos in locustis intelligi, quod postea confirmat dicens, convenit autem haec explanatio cum foelis Prophetia, c. 1. & 2. n. 2. Chaldaeorum exercitus Judaeam vastaturus, & multum audacia, atque fortitudo similitudine locustarum multis verbis expressa sunt. Et postea subdit aliam explanationem per locustas exeuntes de fumo putei intelligens daemones, in qua etiam non quiescit dicens. Verum quoniam ordine divinae providentiae, ita se habet, ut homines plestantur per homines potius dum in hac vita sunt plestantur, homines significari pro certo haberi debet. Quod etiam potest confirmari ex Ezechiel. 2. n. 6. Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, ubi impij & peccatores dicuntur scorpiones.

Quarto, Cornelius a Lapide hanc opinionem Ribeirae dicit esse minus probabilem, &

hanc Prophetiam dicit esse intelligendam de Daemonebus, & sic ait. Locustae ergo haec erunt Daemones, qui speciem, & formam locustarum induunt: sed novam, & monstruosam, ut puta ex variis animalibus. Leone, Scorpione, equo, & homine commistam, & confarinatam.

Et hanc suam opinionem probat. Primo, Cornelius ex refutatione aliarum sententiarum. Secundum, quia procedunt ex puteo Abyssis, id est inferni, ubi Daemones stabulantur. Tertio, quia sicut nunc tentant homines invisibiliter, ita in fine mundi tentabunt visibiliter, sub ramento dicta forma monstruosa. Quarto, quia etiam aliquando tentant tunc visibiliter sub formis horribilibus, ac monstruosis, ut in tempore mortis, & al quos sanctos, ut D. Anton & alios. Quinto, quia Rex horum est Daemon, cui respondere debent subditi, ac proinde ipsi sunt Daemones. Sexto, quia hominum conceptus est Daemones esse monstruosas creaturas. Septimo, quia Isaias cap. 13. n. 21. & cap. 34. num. 14. dicit Daemones apparituros monstruosa forma in excidio Babylonis.

Quinto; Cornelius non multum contentus affert aliam sententiam ex Lessio lib. 13. de Perfectionibus divinis, cap. 18. qui vult has revera fore Locustas, in qua sententia est M. Joan. de La Haye, & probatur primo, quia locustae a Moysa immittae in Aegyptum, fuerunt verae locustae, ergo & haec verae erunt locustae. Secundum, quia D. Joan. in praesenti eas appellat locustas. Tertio, quia nullum est genus animalium, id quo tanta sit formarum peregrinarum varietas de quibus agit Aldrovandus lib. 4. de insectis cap. 1. de locustis.

At contra has sententias maxime urget, quod hic nullo modo potest esse sermo de veris, & propriis locustis materialibus. Nam haec locustae per quinque menses nihil penitus comederunt; nam eis vetitum est fenum, aut quidquid viride attingere; & solum datum est eis homines torquere. Deinde, quis sibi persuadeat majestatem tanta hujus revelationis sic se demittere, ut tot verba consumat, in referenda forma harum locustarum. Tertio, quid pertinet ad plagam; quod habeant faciem hominis, capillos mulierum, & super capita coronas aureas? Quarto, ut fateatur ipse Cornel. 8. Quarta ergo. Haec symbolice, & figurate accipere cogimur, quia nulla datur propria clavis inferni, nullum etiam ejus ostium, vel hiatus, qui fumum exhalat super terram, vel solem obscurare possit: & liquet ex sequentibus locustas, utpotest tot bestiis similes, figurate accipi debere.

Nec etiam potest esse sermo de Daemonebus accipientibus tales formas: Tum quia hoc est divinare, cum nullum habeat fundamentum in sacro Text. Tum etiam usque modo inauditum est, quod Deus sic homines per daemones puniverit; & quando daemones monstruosa forma apparent, hoc est paucis hominibus, & brevi tempore, non vero tanto tempore, & quasi omnibus hominibus.

Constans, & vera sententia est, praedici in hoc capite, quasi infinita mala, quae ventura erant in mundo per haereses & haereticas, seculi, & alique errorum pessimas, & potentissimas, quae durabunt usque in finem mundi, quo maxime praevalerunt. Ira Primasius, Beda, Ansberrus, Hugo Bellarmus, Ira Primasius, Beda, Ansberrus, Maymo, Albert. Magno, Hugo, Bellarm. Gagnarus, Viegas, Viegas.

38. Confirmatur praedicta sententia.

Itai 13. & 34.

39. Lessius.

La Haye.

Aldrovand.

40.

Impugnatur praedicta sententia.

41. Locustae novae sunt daemones.

42. Vera sententia.

Primas.

Beda.

Ansberrus.

Hugo.

Bellarmus.

Gagnarus.

Viegas.



Ferrarius.

43. Joël 1. Amos 7. Exod. 10. Probatur sententia.

Ansbertus.

44. Prov. 30.

Heretici uniantur contra Ecclesiam.

D. August.

45.

Heretici gula, & ventri dediti.

Bellarin.

46.

Num. 31.

Luxuria & infidelitas associantur. D. Amb.

Viegas, Ferrarius quamvis aliqui ex eis de peculiaribus hereticis explicent.

Hujus rei multae sunt rationes & primò, quia locustae, ut patet Joël. 1. n. 4. Amos 7. n. 1. de- populantur meses ac fegetes, & omne viride, quod in eis est. Exod. 10. n. 15. Sic & heretici devastant segetem, ac messem Christi, & quid- quid viride fidei, ac sanctitatis in eis est, magna ex parte corrodunt. Secundò, Locustae nec ut avis perfectè volat, nec ut cetera animalia ter- ram pedibus terit, sed tamen pro gressibus ala- rum libramine suspensa saltus dare, ac fata ter- ra comedere videtur; hinc meriti heretici locustis designantur, quia nec habent scientiam ad volandum nec rectam operationem ad am- bulandum. Ansbertus. Nec plane scientia vola- tum, ait, nec perfecta operationis gressum habent Heretici, sicut elationum saltibus moti inaudita praedicantes, pravorum necant animas.

Tertiò, quia ut dicitur. Proverb. 30. num. 24. Regem locustae non habent. Locustae quamvis in- numerabiles sint, regem & ducem non habent. Tamen omnes simul eo spirant, & unanimiter feruntur ad agorum depopulationem, & per- niciem. Ecce cur heretici nomine locustarum exprimitur, quamvis enim unum caput non habeant, ut animi consensu adversus Ecclesiam conspirant ex prava eorum inclinatione, ex quo rectè admonet. D. August. lib. 1. de Symbolo ad Ca. hec cum. Ea sine dubitatione vera Ecclesia est, qua contra omnes hereticos pugnat, quam omnes hereses impugnant, sed non expugnant: quod fun- data super firmam petram nunquam ruat, neque adversus eam porta inferi praevalere possunt.

Quartò, quia heretici instar locustarum san- tiolo ore cuncta polluunt: cum habeant intel- lectum erroribus inquinatum quidquid ore evolvunt foetidum, & putridum est. Quintò Locustae nihil aliud habent, nisi ventrem, saltem ex cultis comparantur, qui maxime gula, ac ventri sunt dediti Bellarm. l. 3. cap. 23. Controvers. Locustae, ait, ventrisum animal, nec volare rectè potest, sed saltando se erigit in altum, & mox ad terram recidit; si nificat hereticos hujus temporis, esse homines ventri addictos, inimicos sejuniorum & continentia: & ideo nec incedere posse per viam mandatorum, nec volare ad res ecclesiae contem- plandas.

Maximè associata est fidei apostasia, cum luxuria postquam Israël pugnavit contra Madi- anitas, seorūque mulieres servasset, contra belli Principes iratus Moyses ait, Cur feminas refer- vatis? Nonne ista sunt, quae acceperunt filios Is- rael, & pravaricari vos fecerunt, in Dominum super peccatum Phogor. Num. 31. num. 16. duo mala à Madianitis feminis orta commemorat Moyses, quae vix ab invicem separari possunt, unum quod forma deceptos Israëlitas traxerint ad libidinem, alterum, quod fecerint illos à Deo deficere, usque ad idololatriam prolabi, maximè enim haec inter se associantur. Hinc Paulus 1. Corinth. 10. n. 7. dicebat, Neque ido- lolastra effraimini, sicut quidam ex ipsis: quem- admodum scriptum est, sedis populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicamur, &c. Ubi Apostolus conjunxit, duo mala valde inter se amica, & confederata, & quasi inseparabilia nimirum fornicationem, & idololatriam. Ex quo D. Ambros. ait ibi. Haec

luxuria est, quia semper oblectari in Dei rebus infideles inveniunt. Ideoque surrexit populus manduca- re, & ludere.

Mandavit Deus Israël. Lev. 19. n. 29. Non pro- stituas filiam tuam, ne contaminetur terra. Onke- lus legit ultima verba. Ut non idolis serviat ter- ra. Cum pudicitia prostituitur; ac deperditur, statim aperitur ostium, ut terra perfidia sit con- taminata, ac foedata, sic utraque est conjuncta. D. Ambros. lib. 6. Epistol. 36. Nemo se luxui com- mittit nisi qui recedit à praeceptis Dei veri. Ubi autem coeperit quis luxuriari, incipit deviare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina op- probria carnis, & mentis sacrilegia.

Fuit Herodes Rex luxuriae deditus: Marc. 6. Marc. 6. qui in puellarum choris insumeret dimidium regni; fuit & Ahab Rex conjug Jazabelis Re- ginae, cujus rapiebatur affectu, cujus & in idolo- latria usus est magisterio 3. Reg. 16. n. 31. Utinamque regem tanquam socios conjungit 3. Reg. 16. semper luxuria, & idololatria. Andreas Jero- solymitan. oratione in decollatione Joan- Baptistae. Ne illum quidem, ait, Ahab alterum raulieris maxcepum est imitatus Herodes, qui tunc habebat Jazabel magisterium mulierum Deo- rum cultus, sicut nunc hic Herodiasdem libidinis, & insuperantia, Tamen Ahab idololatriam deditus Etiam verebatur, Herodes verò inter luxurias Joannem Baptistam interfecit; Luxuria excidit crudelitatem & modum super idololatriam in Deum & factos ejus.

QUESTIO V.

Quare non de puteo abyssi, sed de fumo putei exierunt locustae.

At tex. Et de fumo putei exierunt locustae in terram, de puteo nempe de infer- no exivit doctrina hereticalis, quae veram lucem Ecclesiae obscurare intendit. Ex qua ma- ximè evulgata, & propagata prodierunt hereti- ci, qui tanquam locustae messem Domini de- populaverunt.

Secundò, locustae, seu heretici, non de puteo, sed de fumo exisse dicuntur; nihil enim inanius, ac levius est fumo, ita nullas inconstanter, ac levior animo, quam hereticus. Tertiò, fumus, quòd altius ascendit, eò facilius deficit, & diffi- patur, & in nihilum redit; inde meriti locu- stae, seu heretici, non de puteo, sed de fumo il- lius exire dicuntur, quia haereticus infestus, quo al- tius per superbiam inflatus eriguntur, eò citius evanescent, & ad nihilum rediguntur Albertus Magn. Fumus dum alta petit, ait, in seipso desi- cit: sic heretici dum per superbiam elevarunt, desi- ciunt, & annihilantur.

Quartò, ascendit fumus de puteo, & obscura- tus est Sol, & aer. Et quis fumus ita sursum al- cendit, ut ad ipsum solum pervenire possit, cum- que caligine involvere. Hic fumus tumorem animi, ac superbiam designat, ut docet D. Bern- hard. Non ergo mirum, quod radios solis im- pediat, ne ipsum aërem illuminet? Superbia enim impedit quominus lux divinae sapientiae ad nos perveniat, & mentes nostras penetret. Ita Praefat. Senens. to. 2. serm. 53 cap. 1. Superbia est

47. Levit 19. Onkelus.

Luxuria generat idolo- latriam.

48.

And. Jerol.

Luxuria crudelior in sanctis supra idololatriam.

50.

Hereticus inconstans & maxime per superbiam evanescit.

Albertus.

51.

Superbia re- pellit à nobis lucem divi- nae sapientiae.

D. Bern.

52. Heretici ter-rena tantum sapiunt.

Ether Epist.

53. Eligere ho- minem ex infimo valde molestum.

54.

D. Ambros. Genes. 1.

Genes. 1.

Eligere ex infimo ho- minem valde molestum.

est fumus ille, ait, de quo Joan. in Apocalypsi, & obscuratus est Sol & aer de fumo putei abyssi: In quacumque enim mente superbia diaboli veget, ra- dios solis divi nae sapientiae ab ea praescindit & puri- tatem eius, quae sicut aer peruvia debet esse radiis sapientiae Dei, obrebrat, seu obscurat.

Quintò, de fumo putei abyssi exierunt locustae. Ex puteo abyssi, ex profundissimo, ac subter- raneo loco provenit fumus, ex quo exeunt locustae, hoc est heretici; non ex quolibet loco proveniunt, sed maxime ex subterraneo exeunt hujusmodi locustae in quibus heretici adum- brantur; qui nihil caeleste, & nihil nisi terre- num sapiunt. Favet Etherius Episcop. lib. 1. ad Elipan Locustae, ait, in terram exierunt, quia he- retici terrena sapiunt, non caelestia, semper enim he- retici securitatem saeculi eius praerant, & inde terrena sapiunt.

Sextò, de fumo putei exierunt locustae, fumus duo habet, obscurat solem, & ad fletum, ac lachrymas provocat; magna miseria unius rei- publicae, quod tales electiones fiant in ea quae videntur ab inferno progredi; nam extollere ex infimo, ac fumo unum hominem, hoc est obscurare reipublicae solem, & in subditis, ac inferioribus lachrymas, & fletum excitare; ingratum & molestum hominem ex infimo sublevare.

Deus cuncta uno verbo creavit; dixit Deus fiat lux, fiat firmamentum, &c. At verò cum ad hominis creationem devenit ut ponderat. D. Ambros. in Hexam. ait. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Gen. 1. n. 26. illud faciamus magnam rei difficultatem indi- cat. Res facilis uno verbo fit, at verò si mul- tum difficilis sit, ad illam tanquam consilio habito in congregatione proceditur, sic tan- quam consilio facto inter divinas personas di- citur, ut communiter Patres ponderent, facia- mus hominem ad imaginem, & similitudinem no- stram, & prae se piscibus maris & volatilibus caeli, & bestiis, universaque terra. Deinde declaratur maximè difficultas hujus operis; quod Deus veluti dupliciter ad illud manum adhibuerit. Primò, cum dicit, faciamus hominem. Secun- dò, cum cap. 2. n. 7. scribitur. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terra, & inspi- ravit in faciem ejus spiraculum vitae, & factus est homo in animam viventem. Ac si quodammodo Deus in hoc officio manum adhibuerit; pri- mò, formando corpus. Secundò, animam aspi- rando. Unde tanta rei difficultas; voluit Deus extollere de limo terrae hominem, ut praesertim volatilibus caeli, & piscibus maris, & bestiis terrae, inde conveniens erat, ut in hoc negotio magna rei difficultas repraesentaretur; cum consilio veluti facto inter divinas personas, praevidebat Deus hominis ingratitude, de quo dicitur homo cum in honore esset, non intellexit, ita dicitur Gen. 6. n. 6. Penituit eum, quod hominem fecisset; & talem ad caelestia eri- gens suas difficultates patiebatur.

In illa parabola, quam proposuit Joathan di- citur, quod congregata sunt ligna, ut facerent sibi regem, & cum convenissent ad Olivam, si- cum, & vitem omnes regna respuerunt; Tan- dem dixerunt rhamno, veni & impera super nos, quae respondit eis: Si me verò regem consti- tueritis, venite, & sub umbra mea requiescite, si au- tem non vultis egrediatur ignis de rhamno, & de- Sylveit. in Apocalypsi. Tom. I.

voret cedros Libani. Judic. 9. n. 15. Obiter ponde- ra quod ait rhamnus, sub umbra mea requies- cite; quod erat omnino impossibile, ut arbores aliae sub umbra illius se submitterent; sic valde frequens est; cum indignus ad regimen eleva- tur statim impossibilia determinat, & imperat; ramen in rem nostram ait. Egredietur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani. Cum unus indi- gnus ex infimo extollitur Respublica perit, & qui cum elegerunt consumuntur, ac tanquam igne extinguuntur. Ignis devoret cedros Libani.

QUESTIO VI.

Quare dicitur quod his locustis data sit potestas, sicut habent scor- piones terra?

Dicitur in text. quod locustae exeuntes de puteo, erant pungentes, & virulentae ad instar scorpionum, in quorum cauda later vitus, & aculeus, quo dolose & lethaliter pun- gunt; dicuntur scorpiones terrae ad differen- tiam maritimarum, qui caent veneno. Haec juxta litteram.

Primò dicuntur hujusmodi locustae, in qui- bus heretici adumbrantur, quod habebant po- testatem sicut scorpiones terrae, scorpium facie, & aspectu, blandus, suaviter, ac perjuvandus ap- paret, à cauda verò mortiferum venenum ex- torquet quo cuncta animalia enecat; sic & he- retici in extrema apparentia, & blandos se ex- hibent in eloquio, imò externam quandam sanctitatem fingunt ut latenter ac dolose suum lethiferum venenum effundant; incutit- que suae falsae doctrinae aculeo interimit, ut monebat Ignatius Martyr. in Epist. contra Ha- reticos ad Trallian. Sunt quidam, ait, vaniloqui, & mentis seductores, non Christiani, sed Christum mercantes, in fraudem circumferentes nomen Christi, & campanantes verbum Evangelii, & er- roris venenum, blando alloquio insipientes Sic ille pestiferus Lutherus frequenter dicebat ver- bum Dei esse praedicandum, Verbum Dei, cum sit ex ore ejus dicendum, ac docendum, ut ita sub hac ovina pelle lethiferum venenum suo- rum errorum diffunderet.

Secundò, scorpio se blandum ac suavem ap- pectum exhibet, cauda verò mortiferè nocet; ecce- cur haec locustae, seu heretici dicuntur habere potestatem sicut scorpiones, quia quod aperto ore non possunt facere, hoc latenter, ut è cau- da, & per insidias moliuntur. Richard. Victor. Quia, ait, pravorum universus, quod non potest per apertam sevitiā, hoc adimplere nituntur per occultam malitiam.

Tertiò, Ansbertus. Locustae, ait, ut scorpiones terra nocendi potestatem accipiunt, quia nimirum suffulsi temporibus potestantibus per ea, quae re- tro sunt, nocent. Cur potestas locustarum, seu hereticorum assimilatur scorpionum potesta- ti, & non potius leonum, aut urforum fortitu- dini. Scarpio venenum, in quo innititur habet in cauda, quae cum sit extrema pars cor- poris denotat auctoritatem temporalem, quae est infima, & extrema respectu spiritualis, ecce- cur potestas locustarum, seu hereticorum V u assumi

Indignus cle- rus in possibi- lia imperat & nocet toti- publica.

56.

57.

Heretici blando elo- quio decipi- unt.

S. Ignatius.

58.

Iniquus facit malum oc- culis quod non potest an- terio.

Richard.

59.

Ansbertus. Hereticus temporalis au- thoritate sul- tus nocet.